dorff. Comment. de Lutheranismo lib. LI. §. 51. p. 145. Pergit Illustris Seckendorff. in alio quodam loco suummet judicium adjicere de epitome nostra Lutherana : In hac, inquit, nucleus & succus divinæ Veritatis & doctrinæ NB. pro captu simpliciorum exhibetur, nullis Scholasticorum tricis involutus, non inflatus mysticorum tumoribus, non fabularum ineptiis dedecoratus, nulla denique heterodoxia infectus. Eo etiam spectat, quod B. M. Joh. Kromajerus ad formulam Concordiæ præfatur, addens causam, cur Catechismus inter Libros Symbolicos sit relatus; quia NB. Laicorum quasi Biblia esse censeatur. Belle omnia se habent : cum enim facultates naturales lapsu Adamitico valde sint labefactatæ, utique subsidio & auxilio his esse per brevem quandam institutionem Doctores ac Ministri Ecclesiæ tenentur.

Judicium Seckendorff.

Catechismus Laicorum Biblia.

THEOREMA V.

Lac Catecheticum Rationale muniebat primitivam Ecclesiam contra hæreticorum irrationalitatem.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

ANtiqua Ecclesia, imo ea, quæ Apostolis adhuc viventibus extabat (quod ex cap. I. Lucæ colligitur) formam quandam doctrinæ constituit, eamque utilissimam esse judicavit. Atque huic formæ doctrinæ (quantum ex veteris historiæ monumentis colligimus) adjunxit tandem symbolum, quod vocatur Apostolicum. Exstat enim nomine traditionis Apostolicæ, totidem fere verbis apud Irenæum & Tertullianum vetustissimos Ecclesiæ Scriptores : & honestissimo titulo appellatur Canon & Regula fidei. Et memorabile quod Cyprianus in expositione fidei scribit, Apostolos, cum discessuri

Symb. Apostol. usus in Ecclesia primitiva.